

8.54.22

*Idem AA. et CC. Diomedii.*

Cum res filio emancipato ea condicione, ut creditoribus tuis solveret, te donasse proponas, si stipulatione vel in continenti habito pacto huic rei prospexisti, creditoribus quidem non contra eum ex placito vestro, sed adversus te competit actio.

l ¶ Eum autem, cui certa lege praedia donasti, incerta civili actione ad placitorum obsequium urgeri secundum legem donationibus dictam convenit.

*S. VII k. April. Sirmi CC. cons.*

[a. 294]

8.54.23

*Idem AA. et CC. Olympiadi.*

Si ea quae donaveras posteriori placito qui acceperat donum tibi reddidit, donationis antecedens instrumentum actis sequentibus nihil obesse potest.

*S. V k. Oct. CC. cons.*

[a. 294]

8.54.24

*Idem AA. et CC. Macario.*

Si patri tuo heres non extitisti, ex facta ab eo liberalitate titulo donationis non posse iura tua laedi manifestissimi iuris est.

*PP. non. Febr. Antiochiae Diocletiano VII et Maximiano VI AA. cons.* [a. 299]

8.54.25

*Imp. Constantinus A. ad Maximum pu.*

Donatio, sive directa sit sive mortis causa instituta, sive condicionibus faciendi ac non faciendi suspensa sive ex aliquo notato tempore promissa, sive animo dantium accipientiumve sententiis quantum ius sinit cognominata, sub hac fieri debet observatione, ut quas leges indulgent actiones condiciones pactionesque contineat, hisque penitus cognitis vel recipiantur, si complacitae sunt, vel reiciantur, si sunt molestae.

l ¶ In conscribendis autem donationibus nomen donatoris, ius ac rem notari oportet, neque id occulte aut privatim, sed ut tabulae aut quodcumque aliud materiae tempus dabit vel ab ipso vel ab eo quem sors ministraverit perscribatur: actis etiam adnectendis, quae apud iudicem vel magis Iratus conficienda sunt, ubi hoc leges expostulant.

*D. III non. Febr. Romae Sabino et Rufino cons.*

[a. 316]